

Ine  
1477

1  
214

**Tractatus Clarissimi Philosophi et  
medici Matheoli Perusini de Memoria.**

**I**am diu Brocarde et Bonauentura viri dignissimi et repli-  
catis precibus me sepiissime pronocastis: vt ego aliqua de  
memoria nutrienda et augenda colligerem. quam rem ego  
vobis sepe pollicitus sum: sed tenuit me diutius continua age-  
darum rerum occupatio. Tandem statui votis vestris parere: et  
ita domino adiuuante aliqua et ea vt puto digna et vobis vtilia  
aggregabo. **D**icimus igitur qd de hac materia nullum hucusq;  
inueni qui complete tractaret adiungendo scz medicinalia cum  
alijs rebus que artificiose memoriam augent. Alij enim: vt Cice-  
ro maxime: de artificiosa memoria tractarunt: quo pacto videlz  
regulis habitis potuisset memoria augeri. Ad consimile autem  
propositum: tractatum vidi quem Guilielmus de Briscia philo-  
sophus atq; medicus composuerat. Medici vero ecotra ta noui  
q; veteres ad memoriam recuperandam si perdita esset et ad ha-  
bitum fortificandum solum remedia medicinalia scripserunt. Po-  
namus igitur simul vtrunq; studium: vt complete discamus me-  
moriā gubernare. Erunt igitur capitula duo. In quoru primo  
ponemus quomodo possumus memoriam artificialē augere be-  
neficio regularum. In secundo vero dicemus qualiter id etiam  
fieri possit beneficio medicinarum.

**C**apitulum primum de artificio memorie augende per regu-  
las et documenta. Dicemus itaq; qd circa memoriam aut poten-  
tiam memorandi duo opera habemus. vnum quod dicitur memo-  
rari. aliud reminisci: licet reminisci non sit principaliter memo-  
riæ opus: imo estimatiue: licet hoc sine memoria fieri non possit.  
Ideo Aristoteles duas distinguit potentias. quarum vnā vo-  
cauit memoriam. alteram reminiscentiam. Prius ergo de memo-  
rari: deinde de reminisci dicemus. **M**emorari igitur est retine-  
re et conseruare imagines rerum prius ab anima perceptarum.  
Primum igitur que bene meminisse volumus dum ea didicimus



vel audiuimus: oportet multum attente et profunde mentem appo-  
nere. sic enim diutius et firmitus in memoria remanebunt. nam que su-  
pericialiter et sine attentione videmus et audimus etsi frequenter  
tamen cito ea labi a memoria experimur. et ideo dicit Aristoteles. que-  
dam semel. s. attente videtes melius memoramur: quam altera mul-  
totiens. s. non attente. Unde apud Platonis *Timaeum* scribitur:  
Ego ut probum auditorum decet sine sermone sub silentio mentem  
atque aures parabo. Est autem et hoc documentum siue elementum utile  
multum ad discendum. nam is est maxime docibilis qui attente para-  
tus est audire: ut scripsit *Lullius* primo nouorum rethoricoꝝ. cuius  
ratio hec est: quia ut scdo de anima habet: actus actiuorum sunt in pati-  
ente predisposito. Attentione autem magna auditorum disponit et pa-  
rat ad profunde et perfecte reassumendum: prius tamen intelligendum.  
Conseruatio. n. sequitur intellecta. unde *Gorgias* ut fertur bene dixit  
ubi intenderis ingenium valet. Felix itaque qui cum attentione audit  
atque studet. Secundum admonitum est: quod in audiendis delectari  
et admirari ad memorandum multum valet. Nam in quibus delecta-  
mur et admiramur multum eis intendimus et in eis profundamur et  
detinemur. Attentione autem magna et maxime profunda ut dictum est  
ad memoriā valet. Valde igitur et admirari et delectari in his que  
attentionem et profunditatem inducunt. huius autem signum maxime ha-  
bemus in pueris: quia qui multum delectatur in formis et in signis rerum  
propter hoc quia eis noue et insuete sunt earum bene memorantur.  
Unde dicit *Auerrois* quod homo memoratur multotiens quod fecit  
in pueritia bona rememoratio: quia homo in pueritia multum  
amat formas et figuras et multum in eis delectatur et admiratur.  
quapropter figuntur in eis bene: et propterea difficile dimittunt.  
Aliam tamen in problematibus de pueris et eorum memoria cau-  
sam assignat *Aristoteles*. sed illam velut rei nostre impertinentem  
hic obmitto. Unde *Lullius* secundo rethoricoꝝ: que acciderunt in  
pueritia meminimus optime: propterea quod nulla nisi noua aut ad-  
mirabili re commouetur animus. Utile est igitur et si ita non sit re-  
putare scientiam in qua studes esse valde bonam et bonabilem et

excellentem atq; magnam ⁊ paucis notam. ⁊ non tantum scien-  
 tiam: sed etiam doctorem quem audis. Nam bona ⁊ honorabilia  
 appetimus ⁊ amamus. Magna autem et rara admiramur. Sed  
 si despicias aut spernas scientiam in qua studes: vel doctorem a  
 quo audis: non bene percipies nec retinebis. Unde inter claves  
 sapientie ponitur honor magistri. quare non est mirandum si au-  
 ditores huius seculi parum proficiunt: quia de se confidentes ma-  
 gistrum spernunt. quare tales proficere non videmus. Rursus ⁊  
 tertium est admonitum: quia memoria hominum labilis est ⁊  
 turbe non sufficit: ut dicit Seneca: Necessesse est brevia ⁊ pauca esse  
 que memorari volumus. Ideo oportet ea que facilius retinere vo-  
 lumus ad summam quandam ⁊ paucitatem reducere. Hoc enim  
 modo facilius retinebimus: ⁊ propter hanc totius memoriaz ha-  
 bebimus in summa illa. Et ideo communi ad quod reduimus  
 omnia includuntur. Unde dicit Philosophus Tertio Topico-  
 rum: In argumentationibus propositiones memorabiliter scire  
 oportet. Nam vel de immemorabili propositiones communes tan-  
 tum posite statim faciunt illa memorari. Contrario igitur mo-  
 do procedere debet discens et memorans. Nam que discimus oportet  
 per plura explicari ⁊ diuidi. Sed illa que volumus meminisse  
 se colligere ⁊ breuiare oportet. Unde peroptime dicitur ab Au-  
 gone in Didascalicon: Sicut ingenium in diuidendo inuestigat  
 ⁊ inuenit: ita memoria colligendo custodit. Oportet ergo ut que  
 discendo diuisimus commendando memorie colligamus. Colli-  
 gere autem est ea de quibus prolixius scriptum vel disputatum  
 est ad breuem quandam ⁊ etiam compendiosam summam rediga-  
 mus. Habet namque omnis tractatio aliquod principium cui tota  
 vita ⁊ vis sententiens immittitur ⁊ ad ipsum cum talia referun-  
 tur hoc querere ⁊ considerare colligere est. Quidam fons est cuius  
 sunt multi riuuli: Anfractus fluij non sequere. tene fontem  
 ⁊ totum habes. Idcirco etiam dico quod memoria hominis hebes  
 est et breuitate gaudet. Et si in multa diuiditur minus in singu-  
 lis. vñ ⁊ q circa pauca occupant ⁊ sollicitant melius memorantur.

Quare fiet: exempli gratia: qñ quis de sero multa legeit: & illa  
vouerit memorari: reducet illa in quendã breuem numerũ: & sic  
omnia faciliter memorabit. Adhuc aut̃ quartũ admonimentum  
erit: quia memoria hominis labilis est oportet eam cũ multa me-  
moriter discere volumus per partes secare minutas & diuisim ee  
non simul illa plegere: & vna particula memoriter scita aliquan-  
tulum pausare. Deinde prima repetita: est ad secundam: deinde  
ad tertiam: & sic per ordinem vsq; in finem pueniendũ. ic enĩ nõ  
est difficultas nec tediũ. Unde Martianus in rethorica sua: Si  
longiora fuerint addiscenda: diuisa p partes facilius inherescũt  
Unde bene dicit poeta: Scire si vis hãc rem tota sit separata mi-  
nutim. Amplius & quintũ documentũ vt dicit pbs meditatiões  
memoriam saluant in reminiscendo ac perpetuo retinendo fre-  
quenter considerare & cogitare oportet que conseruare intendi-  
mus. Sic enĩ non contingit obliuio. Uñ Seneca: Memoria nihil  
perdit nisi ad qd sepe non respicit. Unde scribit̃ in Didascalico:  
Principiũ in lectione est consideratio & confirmatio in meditati-  
one. vnde recte meditatio interpretatur mentis dictatio. Egre-  
gie igitur hoc admonimentum & ante proximũ que maxime ad  
memoriam conferunt simul tanguntur in Didascalicon bis ver-  
bis: In omni doctrina breue & aliquid certum colligere quod in  
arcula memorie recondatur. Unde postmodum cũ res erigit ali-  
qua deriuentur. vnde hec etiam sepius replicare et de ventre me-  
morie ad palatum tractare necesse est. Unde rogo te ne multum  
leteris quisquis es sicut multi faciũt si multa legeris aut si mul-  
ta legendo percurreris. sed bene leteris si multa que percurreris  
intellereris. Discursum super omnia fugias: cum sanctus Tho-  
mas dicit in ep̃la sua Didascala ad fratrem studentem: Et non  
tantum si intellereris sz cum retinere potueris. Examina igitur  
te ipsum cum legis: & quantũ tenere poteris tantũ legas: si vis  
memoriam exercere. Sed si vis totũ stilum lectionis habere & in  
eo delectari: legere potes quantũ desideras: sed parum inde reti-  
nebis. quod pulchre sanctus Thomas dicit: vt retulimus: Dis-

cursum super oia fugias. alias enim nec legere multum prodest: nec intelligere pdest quantum ad memoriam. Si enim legimus multa que tenere non possumus siue illa intelligamus siue non illoꝝ non memorabimur. que enim tenere nō possumus nec illa memorari: cum memorari ⁊ tenere idem sint: vt ab origine predicti ximus. Et sic iam de arte ⁊ modo memorandi satis sit dictū. Cō sequens autem est doctrinam ⁊ artem reminiscendi tractare.

**T**ractatus secūdus de reminiscencia. Cum itaqꝫ scōm Aristo. ordo ⁊ consequentia reminiscibilium causa sit reminiscendi oportet ea quoz vnū per alterum reminisci volumus ordinationeꝝ ⁊ consequentiam habere: cū reminisci quod memorari dicitur fit per aliqua in memoꝝia retenta inuestigare ⁊ reinuenire oblita. Ad inuestigationem ergo obliozū vt reinueniantur: necessario est requirere ordinem illoꝝ quoz intendimus reminisci. Vñ dicit phs: Que bene adinuicem ordinata sunt: bene sunt reminiscibilia. que xō male: grauitur. Ideo oportet ea in quibus studemꝰ si bene ordinata sunt meditari frequenter ⁊ in consuetudinē s̄m ordinem illū illa reducere. Si autem non bene ordinata sunt debemus ea quantū possumus ordinare ⁊ s̄m illū ordinē meditando consuescere. Nā si ea in quibus studemus nūc vno modo vel ordine: nūc alio consideremus: ordo eoz nō p̄firmabit in nobis sicut dicit Seneca: Nō p̄ualecit planta que sepe transfert. Debeamus igitꝫ ea quoz facile reminisci volumꝰ a principio bene ordinata capere vel a rei natura vel a magistris vel a nobismetipsis: ⁊ s̄m ordinē in consuetudinē reducere. Secundū documentū dicemus qꝫ ampliꝰ: quia vt dicit phs: quo ordine primo res apprehense sunt ⁊ p̄siderate ab anima: eo ordine se habēt motus. i. impressiones facte in anima ex eoz apprehensione. Motuū autē ordo ⁊ consequentia causa est reminiscendi. et eo enī qꝫ post primū motū natꝰ est sequi secundus: reminisci p̄tingit: vt dicit phs. Oportet igitꝫ a primo ⁊ p̄ ordinē incedere ad rehabendū oblitū quod querimus. p̄pter hoc enī ⁊ p̄pter consuetudinē qua ordo ille est velocius nobis occurrit oblitū. vnde videmꝰ cū in aliquo

arte sumus noti: si per ordinem quod audiuius incipiendo in-  
 terrogemur: facilius respondebimus. Si autem ordine mutato re-  
 spondebimus: id fiet male aut cum difficultate. unde et pueros cum  
 aliquid quod legerint referunt: si alicuius consequentium sint obli-  
 ti: precipimus a capite inchoari. Sic enim aliquoties a principio ite-  
 rando: id eorum occurrit memorijs: quod prius erant obliti. Tertium  
 documentum: Dicit enim Philosophus quod ex uno similitudinem pertingit reminisci  
 alterius. unde cum fuerimus obliti cogitare de Virgilio nobis occur-  
 rit Homerus. cum Auerrois dicit: quod memorari pertingit propter suum  
 simile: et ita debemus illud sepe reuoluere: et sic facile obliti remi-  
 niscemur. Quartum documentum: Nos ad reminisci iuuat cogita-  
 tio pertrarij: ut dicit Philosophus: ut cogitamus Achillem venit in mentem  
 Hector: cuius eramus obliti. Quintum documentum: dicit Aristoteles quod  
 locus ubi aliqua tractauimus principium est reminiscendi. Unde  
 utile est locum considerare in quo dicta aut facta sunt illa quorum re-  
 minisci volumus. Unde Cicero pro memoria artificiali habenda do-  
 cet stabiliri quedam loca: et illis cogitatis facile venimus in obli-  
 tum. Sextum documentum: quia fantasia multum ab imaginatioue mo-  
 uetur: oportet stabilire quasdam imaginatioues que similitudines  
 habeant cum his que volumus recordari. Exemplum: si volumus  
 reminisci pontis Citini quod est unus de pontibus Patavinis: pone-  
 mus in memoriam pontem magnum et hominem curuum: et sic  
 facile pontis Citini reminiscemur. Hoc non documentum cum superiori  
 est fundamentum artificialis memorie. Que igitur ad artem et do-  
 ctrinam memorandi et reminiscendi pertinent viri digni dixisse  
 sufficiant. Qui autem plura de homini legere desiderat: videat verberio-  
 rem tractatum nostrum quod est a nobis de hac materia compositus.  
 Multa quidem adduxi etiam ad verba eorum que ab alijs percipere potui:  
 ut sermo non propletior esset. nunc vero ad medicinalia transeamus.

**¶** Capitulum secundum: Conseruare vel augere memoriã cum me-  
 dicinalibus opus est laboriosissimum: quia thesaurus iste bonam  
 corporis dispositionem requirit et optimũ vite ordinem. Ponemus

4  
222  
143

tamen aliqua succincta que apud nostros auctores erunt multe  
utilitatis: cōmuniter quia memoria fit labilis ab humido ⁊ fri-  
gido: seruentur iste regule que sequuntur.

¶ Prima regula: Corpus teneatur mundum a superfluentibus.  
vnde quotidie sit ventris beneficium ⁊ si non naturale fiat arti-  
ficiale. Vina magna fugiantur: imo vtile est liquis vult bonam  
habere memoriā vt aliquot dies abstineat a vino: et loco eius  
aqua vtatur zucari. Vitet acumina: sicut allea ⁊ huiusmodi: et  
legumina omnia. Superuitet coitum superfluum ⁊ carnes faci-  
lis digestionis. Acetum ⁊ acetosa: Cepe etiam maxime nocent vt  
dicit Auicenna.

¶ Secunda regula: Buglossa ⁊ zinziber sunt optia memorię quo-  
modolibet administrata: ⁊ maxime zinziber conditum: bis in eb-  
domada aut ter ieiuno stomacho ad quantitatem castanee de  
mane capiat.

¶ Tertia regula: Mirobolani conditi sunt optimi: scilicet semel  
in ebdomada sumere vnum sifinbrū ⁊ est species mente: s̄m Auic-  
cennam est optimum.

¶ Quarta regula: Confecto Anacardina ad quātitatem ciceris  
sumpta in ebdomada semel in auroza confert mirabiliter. Simi-  
liter diambra s̄m Auicennam ⁊ doctores medicīne.

¶ Quinta regula: Oleum p̄hoz. sc̄m mensē mirabiliter occu-  
patio. inunctio ex eo reparat memoriā.

¶ Hec igitur sunt viri digni medicinalia que  
inter alia electissima pro seruanda memoriā: ⁊  
ita finem facio.

